





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO
Menstrua prima.

28

DE CHRISTO

HVMILIATO EX CAP.

53. VATICINIORVM ESAIAE

PROPOSITA: IN QVA DIVINA

A VXILIANTE GRATIA PRAE-

side Georgio Myllo Doctore ac Professore SS. Lite-

rarum primario, M. CHRISTOPHORVS

MEGABACHVS SPANGENBERGEN-

SIS HASSVS 26. April. in loco con-

suetu respondebit.



J E N A

Typis Tobia Steinmanni imprimebatur.

CLARISSIMO VIRO,

ΙΑΤΡΩ ΗΟΛΛΩΝ ΑΝΤΑΞΙΩ ΑΛΛΩΝ,

D. IOANNI SCHROTERO, PRIMO

Academiae Ienensis Rectori, amico suo S.

VARIAE SVNT, AMPLISSIME VIR,
officij mei partes, ad cuius functionem ab Illustriss. Ele-
ctore Saxone quidem huc emissus: à Ducibus autem Saxo-
niae Illustrissimis, Vinariensibus & Coburgensibus, haud ita
pridem euocatus sum. Quae Ecclesiastica, & Scholastica alia
sunt officij mei opera, earum telam superiori mense, auspice
Christo, feliciter sum exorsus. Restat una illa operarum pu-
blicarum pars, quae ut usum, ita difficultatem habet maxi-
mam, sed cum insigni tamen suauitate coniunctam συζήτη-
σeis atq; exercitia disputationum publica, quae menstrua de-
inceps à me haberi ij voluerunt, qui hoc institutum cum
maximo discentium commodo, & insigni huius Academiae
Salanae ornamento coniunctum fore existimarunt. Inter
quos cum non postremus tu fueris, clarissime vir, sisq; etiam-
num sedulus istarum operarum exactor seu ἐργολώτης: me-
rito tuo primitias hasce nostras tibi vendicas. Quae ita abs
te velim accipi, ut postquam à sacratissimarum rerum, quae
his thesibus continentur, accurata consideratione discesse-
ris, nihil tibi in istis magis, quam offerentis animum spe-
ctandum censeas, qui est tui, ut paucis dicam omnia, profe-
cto amantissimus, qualem ego nuper in te erga me quoq; esse
egregie expertus sum. Quem ut conserues, rogo: imò po-
tius quia conseruas, tibi gratiam multam à me deberi, li-
benter agnosco. Vale in Domino. Ex Museo meo Salano
18. April. 1589.

G. Mylius D.



Vm prima sit de sensu huius capituli aurei quæstio, eaque cum Iudæis præcipue nobis controuersa: De Christo Messia id vnicè atque immediatè intelligendum esse, nos firmissimis ducti rationibus, indubitato statuimus.

*I. q. d. p.
hoc caput
ad Christum
spiritum*

II.

Primum si caput hoc ei, de quo agit, ea tribuit, quæ nemini vulgari homini fas est tribuere: consequens est, de vulgari quoquam homine id non posse intelligi.

At talia tribuit passim v. 3. Super ipsum continebunt Reges os suum. v. 11. Generationem eius quis enarrabit? v. 12. Iniquitatem non fecit &c.

Conclusio ergo patet.

III.

Portare aliorum omnium hominum peccata, suo liuore sanare, noticia sui iustificare alios, & similia, attributa sunt, quæ soli Messiaæ competunt.

Caput hoc de eo, qui hæc præstiturus sit agit. Ergo,

IIII

Tanta est autem huius rei euidentia, vt ea Ionathæ etiam, Iudæo paraphrasti, disertam confessionem in hac expositione extorserit.

V.

Accedit Marci Euangelistæ c. 15. v. 28. Philippi etiam Apostoli Act. 8. v. 35. aliorumque autoritas, qui vel mutuatis in hunc sensum ex hoc capite testimonijs: vel instituta etiam aperta expositione eiusdem, sententiæ nostræ manifestè subscribunt.

VI.

A 2

Porro



Porro cum ceu Ianus quidam bifrons in eo Mes-
sias introducatur, cuius antica facies, humiliationis spe-
ciem: postica, exaltationis imaginem visendam pro-
ponit: priorem illam hac vice contemplari potissi-
mum iuuat.

VII.

Vbi id primum considerationem meretur, quam
tristis & horreni lapsus atq; offensionis materia ex
hoc diuinæ voluntatis mysterio orta sit, in gente potis-
simum Iudæa, vt sancto etiam Vati eam multis antè se-
culis deplorare libuerit, quòd paucissimi fuerunt, ex
populo tam numeroso, qui humiliatione Christi non
offensi, fide, qua par fuit, ad diuinæ voluntatis placitum
sefe adiunxerunt.

VIII.

Scandali materiam quid præbuerit, sacro Vati di-
uinare non difficile fuit: Nempe non oculorum con-
cupiscentiæ, non aliorum sensuum delicijs consuluit
Deus: sed ad auditum partim retulit pleraq;, introducto
Filij sui regno: partim prædicationis de Christo par-
tes Ministerio abiectissimorum hominum delegauit,
vt ne in speciem habere videantur, quod illi suæ incre-
dulitati prætexere possint.

IX.

At verò quicquid prætexant Iudæi, mera infideli-
tas fuit, qua ipsi diuinæ voluntatis beneplacito relu-
ctati, regnum Dei repulerunt. De qua, quia expressum
Christi extat iudicium, Qui non credit Filio, non vide-
bit vitam: sed ira Dei manet super eum: nihil est, cur
damnationis eorum causam extra ipsos quæramus,
quin hac sola animaduersa, ipsos suæ perditionis auto-
res in solidum quasi fuisse, certò statuamus.

X.

X.

Quid enim? quod pridem antè prædicta hæc fuit ipsorum incredulitas? an hoc propter euentus necessitatem incredulitati Iudæorum excusandæ patrocinabitur? Nihil minus. Prædicta enim fuit, quia secutura erat: non euenit, quia prædicta fuerat: Et voluntatem ipsorum prædictio neq; inclinabat, neq; impellebat: sed ei liberrimus motus in ista incredulitate constitit.

XI.

Et quid? quod fides non est in humana potestate sita? Medium tamen conferendæ fidei, benignissimè sibi à Deo oblatum, peruicaciter isti respuerunt, ut sua culpa fide caruerint, qui rationes accipiendæ fidei, suo prope vitio improbè aspernati sunt.

XII.

Nec obstat, quod brachium Dei non omnibus reuelatum fuisse dicitur, hoc est, quod excæcationem oculorum, & indurationem cordis à Deo passi leguntur, ut incredulitatem Iudæorum à peculiari efficientia Dei profectam esse, & hanc ab occulto damnationis decreto pendere aliquis existimet, ut non parum multis lucem in tenebras hac parte mutare, & blasphemis latratibus Deo obstrepere nostro seculo libuit.

XIII.

Excæcationem & indurationem Iudæorum equidem non negamus: Excæcationem autem cum Augustino partim interpretamur, cum non illuminauit Deus: Indurationem, cum non emolliuit: sed dimisit eos secundum desideria cordis eorum, partim cum ex iustissima ira sua, Verbo suo prædicato, alijsq; operibus sanctissimis productis, eas instituit rationes, quibus latens ipsorum improbitas, & duricies cordis, ac cæcitas

A 3

mentis

*Iudæo
Iudæo.*



mentis magis irritata atq; exasperata fuit. Quo modo non induravit aut excæcavit Deus, cæcitatem aut duritiem efficiendo: sed non impertiendo gratiam & iustis rationibus eliciendo latentem improbitatem, ut peccata peccatis mirando Dei iudicio punirentur.

XIII.

Quo tamen loco probè notandus est ordo, quem in hoc supplicij genere scriptura monstrat. Non enim quia non reuelatum sit, id est, quia excæcationem passi sint, ideò illos non credidisse Propheta asserit (sic enim credentibus Excæcationem inflictam fuisse, impio dogmate foret consequens) sed quia non crediderint; ideò atrox illud iudicium passos fuisse pronuntiat. Causa enim quidem est excæcatio sequentis obstinationis; sed nunquam non effectus & pœna præcedentis incredulitatis. Et non credunt impij, quia nolunt, & fidei oblatae media præfractè respuunt. Tum verò quia credere nolunt, ideò excæcantur, ut non sequentis incredulitatis causa, sed præcedentis semper pœna sit excæcatio.

XV.

Iam verò huc æternum aliquod, occultum atq; absolutum diuinæ voluntatis decretum de damnando isto hominum genere inferre velle, partim vertiginosæ stoliditatis, partim blasphemæ profanitatis est, in cœtu piorum minimè tolerandæ.

XVI.

Si enim occultum est decretum, quis eius istos fecit interpretes.

XVII.

Fuisse quidem olim memorant Apostoli absconditum aliquod mysterium de salute hominum, cuius
anti-

antiquis exigua atq; obscura quædam lux affulserit. Sed idem illi noui fœderis seculo plenissimè reuelatum esse contestantur. Loca testimoniorum manifesta legantur Rom. 16. v. 25. 26. Eph. 3. v. 9. 10. Coloss. 1. v. 26. 27. 2. Tim. 1. v. 10. & passim alibi.

XVIII.

Id verò, ex ore Christi, Apostoli esse profitentur, Quod omnis qui credit in Christum, non sit periturus, aut iudicandus: Qui autem non credit, iam iudicatus sit, quia non credat in nomen Unigeniti Filij Dei.

XIX.

Hoc verò decretum vtraq; sui parte adeò non est absolutum, vt conditionis qualitatem vtrinq; determinatam atque expressam habeat: Ex salutis quidem parte, Fidei in Christum, notam: ex damnationis verò infidelitatis restrictionem, quæ scandali ex humiliatione Christi concepti, atq; exitij Iudæorum vna, vera, propria ac sufficiens causa fuit.

XX.

Porrò Humiliationis Christi, actus aliquot Prophetæ recenset. Quorum primus in ipsius ortus atque natalium obscuritate consistit, quæ tanta fuit, vt quem admodum palmes aliquis nouellus fortè ex emortua arboris trunco, aut ex vna arboris parte radícula aliqua syluescere incipit, idq; in terra siticulosa planè atque arida: sic Christus ex Regij quidem generis profapia, sed tum, quando hoc fieret, miserrima, atq; ad extremam paucitatem paupertatemq; redacta sit progenitus.

XXI.

Fatendum est quidem, quod Filius Dei carne assumpta homo factus est, id suo modo stupendum omnibus

*Actus
humilia-
tionis Christi*

omnibus tam Angelis, quàm hominibus humilitatis, aut humanitatis potius καὶ φιλανθρωπίας opus appellari posse. Verùm id propriè ad hanc classem, qua Seruilis status actus in iam incarnato Christo recensentur, non pertinet.

XXII.

Quod si causæ tantæ humiliatiōnis expenduntur, quia diuina eius Maiestate dignum in terra nihil inueniri poterat: ad gloriam eius quidem maximè expedit, vt fors infima illi potissimùm obtingeret, ne fortuna magis, quàm natura magnus videretur.

XXIII.

Potior tamen fuit ea causa abiectiōnis istius, vt profundissimè humiliatus, summè nos, quos redimendos susceperat, eueheret. Vt quanto pro nobis factus est vilior, tanto nobis meritò esse debeat etiam charior.

XXIV.

Secundus humiliatiōnis actus ad cultum vitæ pertinet, sub quo vitæ genus, educatio, studia, mores, professio, profectus, scientia, ignoratio, societates, conuersatio, opes, habitatio, & similia intelliguntur.

XXV.

Horum verò tam contempta à Propheta prædicitur fore ratio, vt maximam partem non sint habitura, vnde illi splendoris aut Maiestatis existimatio conciliari queat. Id quod cum Euangelica historia pulchram harmoniam habet.

XXVI.

Ad tertium humiliatiōnis actum παθήματα Christi pertinent, quæ trifariam distinguit Propheta 1. In contumelias honoris. Propter has Despectus & Nouissimus

mus virorum Christus appellatur. Sic nimirum *σω*
ἀλγεσιν ἀίχρα πάχει Christus, & poena scelerum nostro-
rum infamiam habet, quia cum foeda arrogantia pec-
catum protoplasti coniunctum fuit.

XXVII.

Secundum *παθημάτων* genus est in miserijs, quas
Infirmitates Scriptura appellat, quibus ex naturæ con-
ditione homines in hac vita subiacent. Harum etiam
compos factus Christus dicitur, sic vt humani à se ni-
hil (si peccatum excipias) alienum putauerit.

XXVIII.

Quo argumento vt veritas humanæ ipsius naturæ
evidenter liquet: ita satis constat, nihil ipsi deesse ad
συμπάθειαν, quin miserias nostras affectu amantissimo
prosequatur,

XXIX.

Tertium genus violentas passiones continet, quas
Christus tam animo, quam corpore, & plurimas, &
atrocissimas pertulit, vt verè Vir dolorum ab Esaia
nuncupatus sit,

XXX.

Eas verò neq; Patri, neq; S. sancto in S. sancta Tri-
ade, sed Seruo Dei, Messia, Filio Dei incarnato ascri-
bere Propheta docuit. Et in hoc Heroe geminæ sub-
stantiæ, neque ad Diuinitatem referre nos passiones
istas Catholica fides iubet: neq; etiam ad solam Hu-
manitatem: sed ad personam, quæ Christus est, Seruus
Dei, Messias noster. Idque non præter iustas & graues
rationes.

XXXI.

Vt patiatur aliquid Diuinitas, ab omnibus tam fi-
dei, quam rationis principijs prorsus dissentaneum est.
Mal. 3. 6. Rom. 1. 23.

B

Sic

XXXII.

Aug. Sic autem Humanitati in Christo *καλημενα* ista tribuere, ut ab his Filius Dei immunis sit, & non Deus, sed homo duntaxat passus fuisse dicatur, hoc est, Augustino teste, omne salutis nostræ remedium euacuare.

XXXIII.

Passiones enim istas, & mortem, quæ secuta est, solus quidem Deus non sentire; sed nec solus homo superare potuisset.

XXXIV.

Et si id potuisset maxime, nisi in consortium passionum venisset Filius Dei, redimendis nobis passio ista nequicquam profuisset. Nam si lapsorum causam sola egisset natura mortalium: non eruta fuisset natura humana à conditione, quæ libera non fuisset à genere, ut scitè Leo M. loquitur.

XXXV.

Passiones ergò non naturis: sed personæ Christo tribuuntur. Quod ipsum in actionibus etiam fieri conluctum est.

XXXVI.

N Interim Scriptura distinctè passim docet, cuius naturæ respectu fiat, quod toti personæ Idioma tribuitur.

XXXVII.

E Quod si quis ista distinctione omissa, prædicationes in Scriptura vsitatas, præcipue verò Vati nostro familiares, Verbales aut Dialecticas tantum esse asserit: profectò talia sentientem in societatem suam Nestorius rapit, cuius vocem ab omni pietate alienam esse semper iudicatum fuit, qua dixit, Noli gloriari Iudæe. Non enim Deum, sed hominem crucifixisti: Cum Aposto-
lus

lus Dominum gloriæ à Iudæis crucifixum esse, disertè pronuntiet.

XXXVIII.

Cæterum non *δοκίμα*, aut imaginariè: sed verissimè passiones istas Christus Seruator noster pertulit, & verè Vir dolorum fuit.

XXXIX.

Alias quidem, easq; varias & atroces, corpore, & nullis ferè non corporis membris tolerando: alias verò, easq; atrocissimas omnium, anima perferendo.

XL.

Quarum his superandis quamuis immensos angores sensit in horto partim, partim in cruce: in eis tamen nihil inordinatum fuit: sed tales fuerunt illi, quales esse necesse est in natura, quæ mortem pati non nata fuit, quæq; extremam cum iræ diuinæ vehementia, & peccati atrocitate luctam sustinuit: maximam partem requiescente interim Verbo, vt esse tantis angoribus, mortiq; ipsi locus posset.

XLI.

Secutus est tandem humiliationis actus quartus, Mors videlicet, qua in Christo vera quidem animi & corporis, hoc est, vnionis naturalis: sed non personalis itidem facta est solutio. Abscissus enim de terra viuentium dicitur Seruus Dei: non à Verbo vitæ, humanitas separata, qualis separatio in æternum nunquam futura est.

XLII.

Interim Christus ipse animam suam posuit seu tradidit in mortem, id est, voluntaria atq; arbitraria mors ista fuit: non, vt in nobis, conditionis naturæ propria atque debita.

XLIII.

B 2

Immor-

Immortalitas enim cum duplici natura, *partim ex*
naturæ integritate, partim ex Unione hypostatica
cum Verbo Vitæ, homini Christo competeret:
hac etiam parte exinanitas, mortem restaurandæ salu-
tis nostræ gratia, Christus subiit, quod est ipsius testi-
monio evidens, Nemo tollit animam meam à me: sed
ego pono eam sponte mea: potestatem habeo ponen-
di eam, & potestatem habeo resumendi eam.

XLIIII.

Postremus humiliationis actus Sepulturæ fuit pro-
prius. Hic verò quamvis cum impiis in publico infam-
iæ loco exequiæ Christo factæ sunt: monumentum
tamen seu excelsum cum diuite commune habuit. Ac-
cessit hæc prærogatiua, quod caro eius corruptionem
non vidit. Λόγος enim propter Unionem inhabitans,
corruptionem à corpore suo prohibuit.

XLV.

Cæterùm hæc, quæ diximus, omnia, quia ad hu-
miliationis censum referuntur à Propheta: à natiua
Christi dignitate aliena illa fuisse, satis est conspicuum.
Fuerunt ergo seruilis status, seu, quam Apostolus
Phil. 2. appellat, Exinanitionis propria, quam Chri-
stus ex parte humanitatis subiit.

XLVI.

Quo statu assumpto non aliam magis ob causam
opus fuit, quam ut redemptionis operi partim locus
esset, quæ in plena natiuæ gloriæ vsurpatione constare
non poterat: partim ut vberior etiam esset testandi
amoris sui materia, qui tantus fuit, ut quod saluti esse
potuit, non fuerit amanti satis, qui nos non nisi per sum-
mam humilitatem, id est, liberalissimè assertos in ad-
optionem filiorum Dei voluit.

XLVII.

Huic porrò miserrimæ conditioni Christum neq;
casu fortuito, neq; solo hominum arbitrio subiectum:
sed

sed à Deo Patre destinatum fuisse, id ostendit, quod Dominus aduersa, quæ pertulit, omnia in ipsum coniecisse, & sic ipsum in infirmitate conteri voluisse apud Prophetam dicitur.

XLVIII.

Hinc Apostoli asserere non dubitant, Herodem, Pilatum, & Iudæos conuenisse aduersus IESUM, vt faciant, quæ manus & consilium Dei decreuerint. Et Petrus Christum definito consilio & præscientia Dei traditum pronuntiat, vt cruci suffixus, à Iudæis interemptus sit.

XLIX.

Quod non ita accipiendum est, quod specialis aliquis Dei actus accesserit, quo id, quod in passione morteq; Christi peractum est, peculiariter effectum sit. Abhorret enim etiam à sono istorum dictorum verè pius animus: Et scriptura nihil istorum, ne in speciem quidem, vsquam asserit.

L.

Verùm hoc ad præscientiam Dei partim, partim definitum eiusdem consilium ita referendum est, quod libidini Iudæorum permiserit Deus Filium suum, vt patrarent aduersus Christum, non ad quæ patranda aliunde ipsis impulso opus erat: sed quæ Deus sponte sua ipsos in eum designaturos præuiderat, atq; ita quidem sponte, vt atrociora commissuri fuissent, si id manu Dei permissum fuisset: Verùm ita tamen designaturos, præuiderat, vt & cur hæc ita fieri pateretur, utilissimè decretum haberet, & qualia illa quantaq; futura essent, libratissimè manu sua determinaret.

LI.

In hanc fatalem miseræ extremæ fortunam Christus venisse dicitur propter iniquitates & peccata: Non sua quidem propria: quæ in ipso omnium inno-

centissimo, nulla fuerunt: quæq; si fuissent, Mediatoris partibus fungi nunquam potuisset: Sed propter aliena, hominum scilicet.

LII.

Fuit enim, propter peccata, ea generis humani conditio, qua miserior esse nulla poterat. Peculio namq; Dei egressum à patria cœlesti, toto cœlo aberrabat, & errores erroribus cumulans, conditionem suam subinde deteriorem faciebat, non Dei amplius, ad quam creatū fuerat: sed diaboli, à quo seductum erat, imaginem referens.

LIII.

In qua conditione tristissimum illud fuit quod cum salute ipsa, salutis reparandæ adiumenta etiam omnia amissa fuerant, quæ vel ex mente, vel animo hominum, vel quacunq; alia facultatis parte proficisci poterant: quodq; lues ista miseranda sic totam generis nostri vniuersitatem peruaserat, vt ne vnus quidem superesset, qui à tanta clade immunis esset.

LIV.

Hanc Christus miseratus fortunam, sæuire in sese omnis fortunæ acerbitatem passus est, vulneratus, vt Propheta loquitur, propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, non ad partem tantum peccatorum humanorum expiandam: sed, quantum in ipso fuit luem omnem auerruncandam, quæ ab humano delicto proficisci vnquam potuit.

LV.

Corrumpunt ergo augustum hoc redemptionis humanæ per Christum factæ, mysterium primum vel qui sola factorum obedientia exclusis afflictionibus Christi, redemptionem istam metiuntur: vel ista seposita, λύτρωσιν nostram duntaxat ad passiones Christi referunt.

LVI.

Mala

aliqui
si
fuit
ipsum

an
his

Mala fide hoc negotium tractant, qui reatum tantum peccatorum à Christo expiatum fingentes, poenas eorundem nobis exoluendas esse statuunt.

L VII.

Sacrilegi sunt, qui pro originali peccato solummodò Christum oblatum esse asserentes: pro reliquis peccatis alia sacrificia atq; alias expiationes comminiscuntur.

L VIII.

Nihilo mitius peccant, qui passionum Christi merita restringentes, vel ad certum quoddam genus hominum, vel ad peculiare peccatorum species, non quem scriptura facit, vniuersalem redemptorem Christum esse patiuntur: sed ad partem nescio quomodo totum mediationis opus redigentes, & Christum honoris, & Ecclesiam consolationis maxima parte spoliant.

L IX.

Egregium autem est, quod disciplinam pacis nostræ Christo incubuisse, eiusdem liuore nos sanatos, & animam ipsius victimam pro nobis esse positam Propheta sanctus asserit, passionum Christi fructum ac merita, tribus pulcherrimis phrasibus explicans.

L X.

Vt à culpa simus immunes, sacrificio opus est, quo nostra cum Deo constet reconciliatio. Illud, anima sua in mortem tradita, Christus peractum voluit. A poenarum supplicio, securitate fuit opus: eam Christus, castigatione nostra in se recepta, abundè præstitit. Denique aduersus peccati & mortis vulnera medicatione salutari opus fuit. Eam Christus quoque benignè per vulnera sua nobis contulit.

L XI.

Pacem

Pacem ergo ex proprijs passionibus, Indulgentiarum nundinis purgatorij ignis tormentis: sanitatem ex priorum operum meritis, vel Sanctorum liuoribus: reconciliationem atque expiationem ex Missatici sacrificij idolo sibi polliceri, cæcitas est, tantumdem cum salutis propriæ discrimine, quantum cum honoris Christi ignominia coniunctæ.

LXII.

Commendat autem passiones Christi maiorem in modum, quod ita illis defunctus est, vt neque impatientiæ, neque reluctationis idicium præ se vllum tulere rit, nihilo magis, quæ ouis, quæ obmutescens prorsus, ad occisionem ducitur.

LXIII.

Non quod silentio omnia exceperit, quæ in ipsum conuicta proiecta fuerunt: aut de veritate testimonium non perhibuerit, quoties opus fuit: quod ignauiæ & perditionis non patientiæ futurum fuisse, res ipsa loquitur: sed quia nullam passionum aleam, nullum mortis aut infamiæ periculum defugerit, postquam semel redemptionis partes subiit.

LXIIII.

Nam quod calicem deprecatus legitur: non suam à Patris voluntate seiunxisse: sed de veritate humanæ naturæ iudicium præbuisse iudicandus est. LXV.

Quod hæc tam egregiè à Propheta antiquitus descripta fuerunt, id indicio est, quàm piè sit in concilio Apostolorum definitum. Nos eadē Domini Iesu Christi gratia saluari, qua saluati fuerunt prisci patres. LXVI.

Nam quamuis istorum tempore nondum incarnatus fuit Christus, vt mediator idem esse, qui nobis vix videatur posse: quia tamen & in venturum, passurumque Christum illos credidisse certum est; & agnus Dei ab origine mundi occisus, id est, fructus passionū atq; mortis Christi iam inde à primis seculis efficax fuisse dicitur, apud eum præcipuè, cui nihil est futurum aut præteritum, sed præsentissima omnia: idem nobis esse, qui priscis patribus fuit, Mediator Christus putandus est, his quidem nasciturus, passurus: Apostolis & *τοῖς συγχρόνοις* nascens atque patiens: nobis autem natus & passus: omnibus autem ex fide eadem idem atque vnus. Cui sit gloria laus & honos in sempiterna secula. Amen.

F I N I S.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO
Menstrua prima.

DE CHRISTO
HVMILIATO EX CAP.
53. VATICINIORVM ESAIAE
PROPOSITA: IN QVA DIVINA
AVXILIANTE GRATIA PRAE-
sede Georgio Mylio Doctore ac Professore SS. Lite-
rarum primario, M. CHRISTOPHORVS
MEGABACHVS SPANGENBERGEN-
SIS HASSVS 26. April. in loco con-
fucto respondebit.



J E N A

Typis Tobia Steinmanni imprimebatur.

